

mens. — Fol. 156 v. est subscriptio librarii, se hunc codicem absoluisse A. H. 1067. (Chr. 1656—7). Hinc adjecit appendicem historicam de *selsclai-muellifi-kithāb*, qui hic appellatur *Scheich 'Abd-allah Ibn-Muhammad Ef-Ssirī* (الصري) *el-meschhūr bi-Scheich 'Abd-allah Er-Rūmī*, i. e. recensum doctorum mysticorum qui doctrinam asceticam a Deo et Gabriele per Muhammedem et Alium acceptam continua traditione usque ad illum propagarunt. Ejus doctor fuisse dicitur *Scheich-'Hosein-Baghdādī*. His adjunxit, f. 197 v. — 200 r., distichorum paria (*ruba'ijjāth*) ejusdem *Aschraf-zādae*, quae omnia ad theologiam mysticam et disciplinam asceticam spectant.

No. 389. Cod. turc. foll. 170, fol., char. neschi scriptus et vocall. instructus, continens opus geographicum et hydrographicum de maris mediterranei litoribus, insulis, portibus, urbibus litoralibus, de natura aquarum ipsarum, locis vadosis, scopulis et aliis rebus nautae scitu necessariis. In praefatione auctor nomen suum edit *Hemschir-zādei-Kemāl-Piri-Rejis Ibn-'Hādji-'Haqīrī*. (Hadji-Chalfa nostrum appellat *Piri-Rejis Ibn-el-'Hādji Muhammed*, quem interfectum esse dicit A. H. 962; opus autem quod hic habemus *Bā hrījeh* nōminat adque A. H. 930 Sultano Solimano I oblatum esse ait). Etiam Francorum litora noster descripsit eaque dicit a se, quum olim cum *Kemāl-Rejis* mare mediterraneum navigaret, diligenter esse perlustrata. In praefatione disputat de chartis geographicis, quas ad usum nautarum non plane sufficere dicit, quoniam in tantillo spatio multa, quamvis necessaria, delineari non possint. Se quidem antehac chartam confecisse, chartis vulgaribus longe majorem, in qua etiam mare indicum et sinicum e chartis recentioribus et apud Turcas adhuc ignotis addiderit, atque se illam Sultano Selimo, quum in Aegypto esset, obtulisse. Sed tamen ne in ea quidem omnia, quae deberent, perscribi potuisse. Hoc autem in libro omnia et chartis, quarum plurimae insunt (nonnullae tamen inchoatae tantum, vel nondum additae), et oratione ita ex-

plicata esse et declarata, ut ii qui hoc ducere recte usuri sint, omni alio carere possint. Legit autem noster litora hoc ordine: Insulas maris Aegei, litora Graeciae, Italiae, Siciliae, Melitae, Corsicae, Sardiniae, Insularum Balearium, Francogalliae, Hispaniae, Africae, Syriae, Cypri, Anatoliae, Cretae, Rhodi; hinc rursus per litora et insulas Cariae, Lydiae et Mysiae in Propontidem, unde profectus erat, revertitur. In chartis plurimis ventorum quoque regiones indicatae sunt. Subscriptio: *Themmeth-el-kithāb-bi-'aun-Allah el-melik-el-wahhāb, 'amel-kāthib-el-faqīr Muhammed Rejis Dūmendji-Kapudān-Pāscha, jesser Allah mā jeschā*. Absol. est scriptio A. H. 961 (Chr. 1554). Aliquot folia, vocalibus carentia, ab alia, ut videtur, manu adjecta sunt, ut ipsum primum. Insunt etiam tria folia vacua inter ff. 74 et 75, et totidem inter ff. 82 et 83.

No. 390. Cod. arab. foll. 136, fol., char. neschi scriptus et vetustus sane, id quod ipse libri aspectus, charta temporis diuturnitate nigrata et literarum forma antiquior ostendunt. Est idem liber quem vidimus in Codd. 81 et 145, isque integer: *Kithāb-el-weqājah fi-mesāil-el-hedājah*. Auctor ipse dicit, se in eo sequi auctoritatem *Hedājae* (*rewājeth-kithāb-el-hedājah*), quam in praefatione summis laudibus ornat. Finis, quamquam literis paene evanescentibus, idem est qui in Cod. 81. Adscriptae sunt in margine et inter lineas plurimae notae arabicae, nonnullae etiam turcicae. Reiskius in scheda pegmati codicis nostri agglutinata haec notavit: „D'Herbelot p. 903 a. ait auctorem appellari *ol Walād ol Aazz Obaidollah*, cui consentit Catalogus Bibliothecae Leidanae p. 437 n. 661, ubi auctor appellatur *Obaidollah, filius Saidi, filii Tagji 's-Schariah*. Sed fefellit ambos auctores locus praefationis, quo auctor ait, se in gratiam *al Waladi 'l Aazzi*, h. e. filii praestantissimi, *Obaidallae*, compendium hoc confecisse. Filium significat procul dubio suum.“ Litem componit *Hadji-Chalfa*, cujus haec sunt verba: *Weqājeth-er-rewājeh fi mesāil-el-hedājah* (sic enim librum appellat) auctore Bur-